



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.17. Epistolæ Concilii Turonensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI.
A.C. 566.

§. XVII.

Epistolæ Concilii Turonensis.

ap. Greg. IX hist. c. 39. to. 5. conc. p. 872 Igitur S. Radegundi ad Episcopos Concilii Turonensis scribendi causa erat Disciplina in Monasterio Pictaviensi conservatio. In eorum Responso septem tantum Episcoporum nomina leguntur: Euphronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus. Laudato S. Radegundis zelo concedunt, quod optabat, & constituunt, ut Virginibus suarum Diœcesium, quæ Monasterium S. Radegundis ingressæ fuerint, secundum Regulam S. Cæsarii Arelatensis nunquam exire liceat, & si aliqua infelici suo fato exierit, excommunicetur, & anathematizetur. Si tanta fuerit egressæ temeritas, ut nuptias cogitet, tam ipsa quam maritus sacrilegus & omnes conscii eodem anathemate, donec separentur ad pœnitentiam subeundam, involvantur. Suos in Episcopatu Successores obstringunt, ut hanc Disciplinam servant, minanturque, se aliquando coram Divino Tribunali hac super re ab ipsis rationem exacturos.

Ex illis Episcopis quatuor Euphronius, Felix, Domitianus, & Domnolus ad greges suos dederunt Epistolas. His ansam *ap. 5. conc. p. 868.* dedisse creditur Bellum Civile post mortem Chereberti inter Sigebertum & Chil-

Chilpericum ob Regiones Turonensem & Pictaviensem exortum. Litteræ illæ exhortatoriæ sunt, monenturque populi, ut bonis operibus imminetia sibi mala effugere satagant. Primo nuptias non celebrent, sed differant, usque dum præsens calamitas transisset. Multo magis commercia incesta abrumpant. Tum Decimas omnium Bonorum suorum, etiam Servorum dent; illi vero, quibus servi non sunt, tertiam partem solidi pro singulis liberorum suorum pendant. Tandem, quisque inimico suo reconcilietur.

§. XVIII.

S. Crux Pictaviensis.

Sancta Radegundis in sua Ecclesia habebat quidem multorum Sanctorum Reliquias, sed cum vehementi desiderio teneretur habendi Reliquias ipsius Jesu Christi, id est veræ Crucis, aliquam ejusdem partem a Justino Imperatore petere constituit. Nihil illa unquam sine consilio moliri solebat; itaque datis litteris ad Regem Sigebertum, in cujus Regno versabatur, ipsius consensum postulavit. Hoc impetrato Clericos in Orientem misit, quibus Imperator aliquam Partem de Ligno Crucis, auro & gemmis fulgentem, plures alias SS. Reliquias, & Evangelia simili ornatu splendida tra-

D a didit.

Sæculum VI.
A.C. 566.

Baudonin.
n. 17.